



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

cardinalium Laudentium & sancti Angeli, ac dominorum prælatorum & aliorum commissariorum examinatorum in præfenti causâ, per hanc sanctam Synodum deputatorum: & quia ex eorum authentica & sufficienti relatione clare constat, omnia & singula quæcumque proposita & producta contra dictos contendentes, imo verius colludentes de papatu, esse vera, publica, notoria & manifesta, ita quod non possint aliqua tergiuersatione celari, propterea peto, supplico & requiro, nomine & pro parte procuratorum & promotorum, ad persecutionem causæ præfentis, per hanc sanctam Synodum pronuntiari, decerni & declarari, omnia & singula in dicta petitione contenta esse vera, publica, notoria & manifesta; & super his tamquam veris, probatis sufficienter publicis, notoriis & manifestis, ad vltiora procedere, prout tam magnæ necessitati ecclesiæ, & pertinaciæ, contumaciæ & obstinationi dictorum B. & A. hæc sancta Synodus videbit expedire. Auditis sancta Synodus petiit deliberationem Concilii, & fecit pronuntiari per dominum archiepiscopum Pisânium in hunc modum.

Sancta Synodus audita tali relatione, statuit terminum ad deliberandum & audiendum determinationem dicti Concilii super prædictis petitis & requisitis, ad diem Sabbati, quæ erit vigesima quinta præfentis mensis Maii, & ad vltiora procedendum, prout sanctæ Synodo videbitur, ad quam diem statuit proximam sessionem.

SESSIO XII.

Qua die adueniente, seruatis solennitatibus & ceremoniis, vt supra, aduocatus ecclesiæ ascendens pulpitem, supplicauit, petiit & requisit nomine quo supra, pronuntiari super notorio, prout alias latius in vltima sessione petierat & requisierat. & petitum fuit ab omnibus in Concilio præsentibus, si placeret: qui omnes & singuli responderunt, placet. Quo facto, patriarcha Alexandrinus, de voluntate & assensu Concilii, ascendit pulpitem, & pronuntiauit vt in schedula continebatur, cuius tenor sequitur, & est talis.

Sancta Synodus, attenta eorum de quibus agitur notorietate, denique per euidentiâ depositionum te-

ANNO
CHRISTI
1409.

stium, & alia documenta, legitime constat; habitaque super his deliberatione matura, decernit, pronuntiat & declarat, delicta omnia & excessus, ac alia ad decisionem necessaria in petitione presentis causae deducta contra dictos Benedictum & Gregorium de papatu contententes, per promotores seu procuratores per hanc sanctam Synodum deputatos, fuisse & esse notoria, & tamquam super notoriis, fuisse & esse ad ulteriora procedendum; & tamquam in causa, in qua imminet scandalum, & periculum est notorium in mora. De qua quidem pronuntiatione dicti procuratores petierunt instrumentum vnum, vel plura, ad perpetuam rei memoriam, a protonotariis & aliis notariis ibidem presentibus.

Quibus ita expeditis, fuit per dictum Concilium reuocata potestas commissariorum, antea data ad examinandum testes: fuitque super hoc data potestas per Concilium, de eligendo & mittendo nuntios & legatos idoneos ad dominum Lucanum, & ad Senensem, pro facto ecclesiae. Et insuper fuit dies assignata, proxima sessione ad diem Mercurii proximam, quae erit 29. mensis Maii, ad deliberandum de citatione contra contententes faciendam, pro audiendo sententiam definitiuam, & etiam pro ordinando de die ferendi dictam sententiam, & agendi ad procedendum ulterius, prout sacro Concilio videbitur, & fuerit expediens: & sic dictum Concilium recessit.

SESSIO XIII.

Die Mercurii vigesima nona dicti mensis Maii adueniente, seruatis solennitatibus & ceremoniis vt supra, quidam valentissimus magister in theologia, vocatus magister Petrus Plaoul, ascendit pulpitem, & proposuit verbum Dei, videlicet: *Congregabuntur filii Iuda & filii Israel pariter, & ponent sibi met caput vnum*, Osee 1. in fine: & deduxit pulcre exaltando ecclesiam, & asserendo eam esse supra papam. quod deduxit pluribus rationibus, tam ex parte materiae, scilicet animarum; quam ex parte formae, quae est Spiritus sanctus; quam etiam ex parte causae efficientis, quae est ipse Christus; quam etiam ex parte finis, quae est ipse Deus in ecclesia triumphante. Et postmodum posuit opinionem vniuersitatis Parisiensis, videlicet